

Phaedrus, fabulae – Appendix Perottina XV

Post aliquot annos quaedam dilectum virum
amisit et sarcophago corpus condidit;
a quo revelli nullo cum posset modo
et in sepulchro lugens vitam degeret,
claram assecuta est famam castae coniugis.
interea fanum qui compilarant Iovis
cruci suffixi luerunt poenas numini.
horum reliquias ne quis posset tollere,
custodes dantur milites cadaverum,
monumentum iuxta, mulier quo se incluserat.

aliquando sitiens unus de custodibus
aquam rogavit media nocte ancillulam,
quae forte dominae tunc adsistebat suae
dormitum eunti; namque lucubraverat
et usque in serum vigilias perduxerat.

paulum reclusis foribus miles prospicit
videtque egregiam facie pulchra feminam,
corruptus animus ilico succenditur
oriturque sensim ut impotentis cupiditas.
sollers acumen mille causas invenit,
per quas videre posset viduam saepius.
cotidiana capta consuetudine
paulatim facta est advenae submissior,
mox artior revinxit animum copula.

hic dum consumit noctes custos diligens,
desideratum est corpus ex una cruce.
turbatus miles factum exponit mulieri.
at sancta mulier: «Non est, quod timeas» ait
virique corpus tradit figendum cruci,
ne subeat ille poenas negligentiae.
sic turpitudine laudis consedit locum.

Nach etlichen Jahren verlor eine Frau den geliebten
Mann und verwahrte dessen Leichnam in einem Sarkophag.
Da sie sich unter keinen Umständen von ihm losreißen
ließ und trauernd ihr Leben im Grab verbrachte,
erwarb sie sich den glänzenden Ruf einer
keuschen Gattin.

Zu dieser Zeit büßten Plünderer eines Iupitertempels am
Kreuz ihren Frevel an der Gottheit.

Damit niemand ihre Überreste abnehmen könne,
stellt man zur Bewachung der Leichen Soldaten auf, gleich
neben dem Grabmal, worin die Frau sich eingeschlossen hatte.

Einmal, mitten in der Nacht, bat einer der Wächter, der Durst
hatte, die Magd um Wasser. Diese war gerade ihrer Herrin
beihilflich, welche sich zur Ruhe begab – bis dahin war sie
nämlich wach geblieben und hatte bis spät Totenwache
gehalten.

Die Tür stand ein wenig offen, der Soldat blickt hinein und
sieht eine Frau von außergewöhnlich schönem Aussehen.
Sein Herz wird ergriffen und entbrennt augenblicklich,
und allmählich wächst, wie unwiderstehlich, sein Verlangen.

Sein wacher Verstand fand tausend Gründe,
um die Witwe immer öfter sehen zu können.
Verleitet durch den täglichen Umgang
wurde sie allmählich dem Fremden zugeneigter,
und bald fesselte eine noch engere Bindung ihr Herz.

Während hier der gewissenhafte Wächter seine Nächte
zubringt, wird an einem Kreuz die Leiche vermisst.
Voller Angst erzählt der Soldat der Frau von der Sache.
Doch die tugendhafte Frau sagt: „Du hast nichts zu
befürchten!“ und gibt ihm den Leichnam ihres Mannes zur
Kreuzigung, damit er nicht für seine Nachlässigkeit büßen
müsse.
So traten Schimpf und Schande an die Stelle eines guten Rufs.

Die Witwe von Ephesos (Petron, Sat. 111,1 – 112,2)

Matrona quaedam Ephesi tam notae erat pudicitiae¹, ut vicinarum quoque gentium feminas ad spectaculum sui evocaret. Haec ergo cum virum extulisset, non contenta vulgari more funus passis prosequi crinibus aut nudatum pectus in conspectu frequentiae plangere, in conditorium etiam prosecuta est defunctum, positumque in hypogaeo Graeco more corpus custodire ac flere totis noctibus diebusque coepit. Sic adflctantem se ac mortem inedia persequentem non parentes potuerunt abducere, non propinqui; magistratus ultimo repulsi abierunt, complorataque singularis exempli femina ab omnibus quintum iam diem sine alimento trahebat. Adsidebat aegrae fidissima ancilla² simulque et lacrimas commodabat lugenti, et quotienscumque defecerat positum in monumento lumen, renovabat. Una igitur in tota civitate fabula erat: Solum illud adfulsisse verum pudicitiae amorisque exemplum omnis ordinis homines confitebantur, cum interim imperator provinciae latrones iussit crucibus affigi secundum illam casulam, in qua recens cadaver matrona deflebat.

Proxima ergo nocte, cum miles, qui cruces asservabat, ne quis ad sepulturam corpus detraheret, notasset sibi lumen inter monumenta clarius fulgens et gemitum lugentis audisset, vitio gentis humanae concupiit scire, quis aut quid faceret. Descendit igitur in conditorium visaque pulcherrima muliere primo quasi quodam monstro infernisque imaginibus turbatus substitit; deinde ut et corpus iacentis conspexit et lacrimas consideravit faciemque unguibus sectam, ratus (scilicet id quod erat) desiderium extincti non posse feminam pati, attulit in monumentum cenulam³ suam coepitque hortari lugentem, ne perseveraret in dolore supervacuo⁴ ac nihil profuturo gemitu pectus diduceret: Omnium eundem esse exitum et idem domicilium et cetera, quibus exulceratae mentes ad sanitatem revocantur. At illa ignota consolatione percussa laceravit vehementius pectus ruptosque crines super corpus iacentis imposuit. Non recessit tamen miles, sed eadem exhortatione temptavit dare mulierculae cibum, donec ancilla vini odore corrupta primum ipsa porrexit ad humanitatem invitantis victam manum, deinde resecta potione et cibo expugnare dominae pertinaciam coepit et: «Quid proderit», inquit, «hoc tibi, si soluta inedia fueris, si te vivam sepelieris, si, antequam fata poscant, indemnatum spiritum effuderis? Id cinerem aut manes⁵ credis sentire sepultos⁶? Vis tu reviviscere? Vis discusso muliebri errore, quam diu licuerit, lucis commodis⁷ frui? Ipsum te iacentis corpus admonere debet, ut vivas.» Nemo invitatus audit, cum cogitur aut cibum sumere aut vivere. Itaque mulier aliquot dierum abstinentia sicca⁸ passa est frangi pertinaciam⁹ suam nec minus avide replevit se cibo quam ancilla, quae prior victa est. Ceterum scitis, quid plerumque soleat temptare humanam satietatem. Quibus blanditiis impetraverat miles, ut matrona vellet vivere, iisdem etiam pudicitiam eius aggressus est. Nec deformis¹⁰ aut infacundus¹¹ iuvenis castae videbatur, conciliante gratiam ancilla ac subinde dicente: «Placitone etiam pugnabis amoris¹²?»

¹ **nota pudicitia**: vgl. Verg. Aen. 4,322 f.: <fama>, qua sola sidera adibam

² **fidissima ancilla**: vgl. Verg., Aen. 4,8: unanimam ... sororem

³ **cenula**, -ae f.: Essensration

⁴ **in dolore supervacuo**: vgl. Verg. Aen. 4, 449: lacrimae volvuntur inanes

⁵ **manes**, manium f.Pl.: Totengeister; **manes sepultos**: hier: der Verstorbene

⁶ Verg. Aen. 4,34: id cinerem aut manis credis curare sepultos?

⁷ vgl. Verg. Aen. 4,33: Veneris nec praemia noris

⁸ **siccus**, -a, -um: ausgetrocknet (**mulier ... sicca**)

⁹ **frangi pertinaciam passa est**: vgl. Verg. Aen. 4,55: solvitque pudorem

¹⁰ **nec deformis ... videbatur**: vgl. Verg. Aen. 4, 11: quam forti pectore et armis

¹¹ **nec ... infacundus ... videbatur**: vgl. Verg. Aen. 4,11: quem sese ore ferens

¹² Verg. Aen. 4,38

Quid diutius moror? Ne in hanc quidem partem mulier abstinuit, victorque miles utrumque¹³ persuasit. Iacuerunt ergo una¹⁴ non tantum illa¹⁵ nocte, qua nuptias¹⁶ fecerunt, sed postero etiam ac tertio die praeclusis videlicet conditorii¹⁷ foribus, ut, quisquis ex notis ignotisque ad monumentum venisset, putasset expirasse super corpus viri pudicissimam uxorem. Ceterum delectatus miles et forma mulieris et secreto, quicquid boni per facultates poterat, coemebat et prima statim nocte in monumentum ferebat. Itaque unius cruciarii parentes ut viderunt laxatam custodiam, detraxere nocte pendentem supremoque mandaverunt officio. At miles circumscriptus dum desidat¹⁸, ut postero die vidit unam sine cadavere crucem, veritus supplicium¹⁹ mulieri, quid accidisset, exponit: Nec se expectaturum iudicis sententiam, sed gladio ius dicturum ignaviae suae. Commodaret ergo illa perituro locum et fatale conditorium familiari²⁰ ac viro faceret. Mulier non minus misericors quam pudica: «Ne istud», inquit, «dii sinant, ut eodem tempore duorum mihi carissimorum hominum duo funera spectem. Malo mortuum impendere quam vivum occidere.» Secundum hanc orationem iubet ex arca corpus mariti sui tolli atque illi, quae vacabat, cruci affigi. Usus est miles ingenio prudentissimae feminae, posteroque die populus miratus est, qua ratione mortuus isset in crucem.

¹³ **utrumque persuadere:** zu beidem überreden

¹⁴ **una:** *Adverb*

¹⁵ **non tantum illa nocte:** vgl. Verg. Aen. 4,193: *hiemem inter se ..., quam longa, fovere*

¹⁶ vgl. Verg. Aen. 4,172: *coniugium vocat*

¹⁷ vgl. Verg. Aen. 4, 165 f.: *speluncam ... deveniunt*

¹⁸ vgl. Verg. Aen. 4,271 (*Merkur zu Aeneas*): *teris otia*

¹⁹ **veritus supplicium:** vgl. *Aeneas bei Verg. Aen.4,282: attonitus tanto monitu imperioque deorum*

²⁰ **familiaris,** familiaris m.: Geliebter

Constantijn Huygens (1609): Vidua quaedam ex Petronio Arbitro

Laude pudicitiae celebris matrona sepulchro
Cum morte extinctum vellet mandare maritum,
Non tantum est sparsis funus sectata capillis,
Verum etiam in tumulto coepit deflere cadaver
Nocte dieque viri; nec eam potuere parentes,
Neve Magistratus, nec amici abducere; quintam
Iam lucem in tumulto mulier ieiuna trahebat.
Aegrae assidebat fidissima serva, simulque
Commendans viduae lachrymas. It fama per urbem.
Suspensi interea tumulum prope forte latrones,
In quo defunctum flebat matrona maritum:
Proxima nox aderat, Crucium custodia miles,
Lumen ut in tumulto vidit, gemitumque dolentis
Audiuit viduae, cupidusque videre, quid esset,
Ingreditur viduamque videns vultusque decorem,
Constitit attonitus totoque expalluit ore;
Postea defuncti cum cerneret ora mariti
Et sectam viduae faciem sparsosque capillos,
Attulit in tumulum coenam coepitque dolentem
Hortari his verbis: Lachrymas quid fundis inaneis?
Fata manent omnes, sedem properamus ad unam;
Stat sua cuique dies. Nihilo minus illa capillos
Extrahit, extractos ponit super ora mariti;
Non tamen abcessit miles, sed vocibus ysdem¹
Exhortans escam tentat dare, donec odore
Corrupta ipsa cibum vinumque ancilla petivit;
Coepit et hortari dominam potione refecta,
Et si te vivam tumules, si fata priusquam
Poscant, excedas vita, quid proderit? inquit,
Id cinerem aut manes credis curare sepultos?
Tunc reviviscat vis contra fata Deorum
Defunctus? debent te coniugis ora monere.
Tandem igitur frangi passa est matrona, sed aegre,
Duritiam, viresque cibo revocavit inaneis.
Porro blanditys, quibus impetravit, ut esset
Miles, connubium viduae poscebat ysdem,
Nec contra dixit mulier, dicente subinde
Ancilla, placitone etiam pugnabis amori?
Nec venit in mentem, quorum consederis arvis?
Quid multis? victor miles persuasit utrumque.
Ergo istic una taedas fecere iugales,
Praeclusis foribus monumenti, ut quisque putaret
Tristitia extincti viduam expirasse mariti.

Ergo ut laxatas latronis nocte parentes
Videre excubias, tacite abripuere cadaver
Ex furca pendens et mandavere sepulchro.
At circumscriptus miles dum desidet, unam
Ut vidit furcam sine corpore luce sequenti,
Uxori narrat veritus persolvere poenas,
Pigritiamque suam gladio se velle punire,
Si modo fatalem tumulum concedere vellet.
Dixit, at illa, nec hoc permittant numina, furcae
Figere defunctum quam vivum occidere malo:
Tolli ergo ex arca defunctum morte maritum
Et vacuae affigi furcae matrona iubebat.

¹ ysdem = iisdem